



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romæ, 1619**

Vtrum solus episcopus possit hoc sacramentum conferre? 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

vnde non ita committitur dispensatio eius omnibus in articulo necessitatis, sed solum illis quibus ex officio competit. Diaconis autem, etiam baptizare non competit ex officio.

ARTIC. III.

*Vtrum solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre?*

125

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum vñctione perficitur, sicut confirmatio. Sed solus episcopus potest confirmare. Ergo solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

¶ 2 Præterea, Qui non potest quod minus est, non potest quod est maius. Sed maior est usus materie sanctificate, quam sanctificatio eius: quia est finis ipsius. Ergo cum sacerdos non possit sanctificare materiam, nec potest materia sanctificata uti.

SED contra, Huius sacramenti minister inducendus est ad eum qui suscipit sacramentum: ut patet Jac. 5. Sed Episcopus non posset accedere ad omnes infirmos sue diocesis. Ergo non solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

e. 5. eccl.  
hier. p. 1.  
a med. et  
in tit. cō-  
templ.  
in 4 d. 7.  
a. 1. q. 2.  
eo. et ibi-  
dem art.  
q. 2. ad 1  
q. 1. q.  
a. 2. q. 3.  
corp et 3.  
p. 9. 63.  
ar. 6. q.  
9. 72. a. 1  
q. 5.

RESPONDEO dicendum, quod secundum Dion. & Episcopus proprie habet perficiendi officium, sicut sacerdos illuminandi: vnde illa sacramenta dispensanda solis Episcopis referuntur, quæ suspicientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur. Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari.

Ad primum ergo dicendum, quod confirmatio imprimat characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis, ut supra dictum est. Non autem hoc est in hoc sacramento; & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in genere causæ finalis, usus materie sanctificate sit potior quam sanctificatio materie: tamen in genere causæ efficientis sanctificatio materie est prior: quia ab eadem pendet



pendet vsus, sicut ab actiua causa. Et ideo sanctifica-  
tio requirit altiorem virtutem actiuam, quam vsus.

QVÆST. XXXII.

Quibus hoc sacramentum conferri debeat, & in qua  
parte corporis, in septem articulos diuisa.

Deinde considerandū est de his, quibus hoc sacra-  
mentū conferri debet: & in qua parte corporis.

¶ Circa quod quærentur septem.

¶ Primo, vtrum sanis debeat conferri hoc sacra-  
mentum?

¶ Secundo, vtrum debeat conferri in qualibet infir-  
mitate?

¶ Tertio, vtrum debeat conferri furiosis & amen-  
tibus?

¶ Quarto, vtrum pueris?

¶ Quinto, vtrum totum corpus in hoc sacramento  
inungi debeat?

¶ Sexto, vtrum conuenienter determinentur partes,  
in quibus inungitur?

¶ Septimo, vtrum mutilati, in prædictis partibus  
inungi debeant?

ARTIC. I.

Vtrum sanis debeat conferri hoc sacramentum?

126

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod etiam  
sanis debeat conferri hoc sacramentum. Quia

Tho. 4. d.

23. q. 2.

ar. 2. q. 1.

& seq.

q. 0. ar.

2. co. &

ad 1.

principalior effectus huius sacramenti est sanatio me-  
tis, quam sanatio corporis; vt dictum est\*. Sed etiam  
sani corpore indigent sanatione mentis. Ergo eis  
etiam debet hoc sacramentum conferri.

¶ 2 Præterea, Hoc sacramentum est exeuntium,  
sicut baptismus intransium. Sed omnibus intransibus  
baptismus datur. Ergo omnibus exeuntibus debet da-  
ri hoc sacramentum. Sed quandoque illi qui sunt in  
propinquo exitus, sunt sani, sicut illi qui decapitandi  
sunt. Ergo talibus debet hoc sacramentum dari.

SED contra est, quod dicitur Iac. 5. Infirmatur  
quis in vobis? &c. Ergo solis infirmis comperit hoc  
sacramentum.

RE-